



**CL. V. Ioannis Wamesii, I. C. Celeberrimi, In Academia
Lovaniensi Antecessoris Primarii, Responsorum Sive
Consiliorum De Iure Pontificio Tomus ...**

Wamesius, Johannes

[S.l.], 1643

De Sponsalibus & matrim. Consilium DXXIX.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98716)

De Sponsalibus & matrim.

SUMMARIUM.

Matrimonium sine proprio Parocho.

1. Constitutio nova Papa statim à die publicationis Romae facta ligat.
2. 36. 42. Necessitas facit licitum quod alias per se est illicitum.
3. Missa quando celebrari possit in loco prohibito.
4. 37. Banna seu proclamationes ante solemnizationem matrimonij quando omitti possint.
5. Claustrum vitium quando committatur.
6. Geminationis & reiterationis potestas.
7. 33. 35. 41. Constitutio nova, quae tempus ascriptum habet, quando obliget non facta publicatione in provincia.
8. Exciens quando censeatur fateri intentionem adversarij.
9. Pater pro filia in causa matrimonij testificatur.
10. Mandatum ante illius suspensionem non obligat.
11. Actus praecedens ex sequente intelligitur.
12. Amici & familiaris testis testimonium quando valeat.
13. Testis quando quis esse non possit ob imperitiam idiotiam.
14. Testimonia adversario subiacens, causam meritis amittit.
15. Testimonia inter se diversa, vel contraria, non sunt capienda sed concilianda.
16. Instrumentum publicum adferri probatum probationem.
17. Testis instrumentarius diffidit reprobatum quam indicium.
18. 23. Matrimonium quibus verbis contrahatur.
19. Subsignatio quando pro approbatione sit.
20. Confessio superat omne genus probationis.
21. Confiteri censeatur qui respondere detrectat.
22. Scriptura alicuius quomodo probetur.
24. Matrimonium in lecto agnitionis an contrahatur.
25. 32. Matrimonium clandestinum an valeat.
26. 28. 30. Matrimonium metu contractum quando non teneat.
27. Metus quomodo probetur.
29. Testis per producentem quando reprobatum possit.
31. Metus verum debitum solvens non repetit solutum.
34. Decreti irritantis vis & potestas.
38. Parochus proprius quis sit.
39. Domicilium ubi habere censeatur filium.
40. Parochianus alicuius loci quomodo quis efficiatur.

CONSILIUM DXXIX.

PROPOSITUM in facto, quod Martinus Ribera Hispanus, & Hester Sainct-Victor in Regno Anglie in Parochia de Labritz Wittoniensis diocesis, in praesentia Notariorum publici, & Ioannis Baptistae S. dictae Hesteris patris, ac Alonsi B. testium ad hoc vocatorum, animo contrahendi matrimonium, sequentia verba protulerint Hispanica lingua; videlicet dictus Martinus hec ad dictam Hesterem: Ego Martinus R. accipio Hesterem S. pro mea sponsa. & uxore ex hoc die in antea pro tota mea vita, eoque sine ei do meam veram fidem. Et dicta Hester verba ad praedictum Martinum dirigendo dixit. Ego Hester S. accipio Martinum R. pro meo sponso & marito ex hoc die in antea pro tota mea vita & super eo do ipsi meam veram fidem. Quae formalia verba in

deponit. Deinde hoc quoque considerandum, hanc testem nihil de copula deponere (uti etiam verosimile non est, ea praesente illam intervenisse) sed tantum hoc addere, quod mane usque ad quartam vel quintam ibi cum Aetrice permanserit, & tunc Aetricem cum Reo solam nudamque reliquerit; aliquid temporis momentum constituens, quo copula intervenire potuisset: in quo sibi utcumque contrariam habet Aetricis propriam allegationem, qua constitetur, se etiam hora quinta mane, relicto Actore abiisse: quod verisimilimum est factum esse, non distinctis vicibus, sed conjunctim abiisse Aetricem cum Gertrude, quam sibi comitem aliverat, & cum qua Reum à cena domum revertentem in angulo plateae deducendi causa exspectaverat: ut non sit verosimile, Aetricem eo tempore in densis adhuc tenebris, quales ea hora solent esse mense Decembri, sine sua comite domum reverti voluisse.

In summa neque temporis ratio, neque rei probabilitas, neque propriae allegationis, qua Aetrix usa est, conditio, ulla ratione admittunt, ut huic familiari testi, huic turpitudini (si vere contigit) operam danti, & se mediatricem, copulatricemque quodammodo constituenti, Decius consil. 133. Viso processu, in hac singularitate credatur. & propter eam Aetrici in prosecutione clandestini matrimonij, iurandum in supplementum probationis deferatur, c. Inter dilectos in fine De fide instrum.

22 l. Qui accusare C. de edendo * Cum regulariter receptum sit, in matrimoniali causa, quia gravis est & suo pondere criminali exaequatur, Gloss. in c. Mulier De iurjur. ut in defectu plenae probationis non deferatur agenti & matrimonium asserenti iuramentum, etiam si persona honesta sit, quae pro matrimonio stat, Gloss. in c. 1. De consanguin. & affinit. & ibi Abbas, Decius d. consil. 133. Quia in matrimoniali causa non tantum ordinariae, sed plenissimae probationes requiruntur, Decius consil. 163. In causa matrimoniali: praesertim in clandestino ac odioso matrimonio, & ubi ex praesumptionibus agitur. Sic ut quemadmodum ad torturam indicia per singulares testes probata non sufficiunt, Bartol. in l. fin. in fine De questionib. Gloss. l. ult. in verb. vel indicij C. Familia erisc. ita quoque ad copulam praesumendam non sufficiat probatio indicij & argumenti illius per unicum & singularem testem.

23 Neque est quoddam signa adminiculantia ex antecedente & subsequente (uti Aetrix allegat, sed satis non probat) procreatione, ex nummi fractione & datione, ex manus atque osculi porrectione, pro sua intentione fundanda, & delati iuramenti fundamento stabiliendo coarctet: quia sunt signa plane adaphora seu indifferentia, ex quibus purum absolutumque matrimonium inferri non potest. Nam procari est ambire, non concludere matrimonium, Ioan. Bapt. Ferrer. d. consil. 51. nu. 14. & dare anulum aut arram etiam sponsi est de futuro, & magis plerumque, quam mariti, DD. in c. Illud De praesumpt. Hieron. Gratius consil. 2. In praesenti. 64. vol. 2. ut & osculi, & manus porrectio, sponsaliorum de futuro conclusionem, non matrimonij contractum continent, c. 1. De matrim. contracto contra interdict. Ecclesia & ibi DD. Ioan. Bapt. Ferrer. d. consil. 51. nu. 9.

in scriptis tunc redacta fuerunt, & subscriptione eorundem Martini & Hesteris sub signata. Quibus verbis prolatis idem Martinus in signum huiusmodi contractus matrimonialis dedit dictæ Hesteri anulum; & eadem Hester vicissim dicto Martino alium aureum anulum, interposito mutuo osculo; estque de huiusmodi contractu confectum notariale instrumentum. Deinde post intervallum decem circiter mensium in civitate Londinensi, in eodem prædicto Regno, dictus Martinus in præsentia Domini Ioannis F. Presbyteri Itali Theologi, necnon dictorum Ioannis Baptistæ & Alonfi, adhibito supra dicto Notario, contenta dicti contractus matrimonialis denuo ratificavit, & confirmavit, promittendo, quod illum secundum ritum sanctæ matris Ecclesiæ Romanæ solemnizaret, & consummaret; constitutis pro tunc hinc inde dote, & donationibus propter nuptias, sub conditionibus & legibus in instrumento notariali desuper confecto contentis. Quæritur, an inter dictos Martinum & Hesterem sit contractus legitimus quod matrimonium?

Dubitationem facit decretum sacri Concilii Tridentini, Sess. 24. c. 1. de reformat. matrim. quo cavetur, quod matrimonium aliter quam præsentente Parocho, vel alio sacerdote, de ipsius Parochi, seu Ordinarii licentiâ, & duobus vel tribus testibus contractum sit irritum & nullum; imposita etiam poenâ ijs, qui huiusmodi contractui aliter inito interfuerunt. Quæ forma in dicto contractu minime est observata; quia neutrius contrahentium Parochus, aut alius de alterutrius licentiâ sacerdos, isti contractui adhibitus fuit. Dubitationem auget, quod per Bullam Pij Quarti Papæ, sub data anni 1564. decimo quinto Calendæ Augusti, ordinatum sit, omnia decreta dicti Concilii Tridentini, reformationem ac ius positivum concernentia, à Calendis Maij tunc proxime præteritis, omnes obligare cepisse; neque post eam diem exculpationem cujuscumque, quod ea ignoraverit, admittendam esse. Cum enim tempus in lege vel canone generali exprimitur, ex quo omnes ligare debeat, standum est huiusmodi definitioni; nec adhibenda differentia inter scientem & ignorantem, neque hoc requirendum, ut huiusmodi canonis vel legis publicatio facta sit in singulis Provinciis vel diocesisibus, cum singula & ibi Gloss. in v. perveneris De præbend. lib. 6. gloss. in c. fin. De reg. ur. lib. 6. Vtique adeo ut eo casu non sit necesse expectare duos menses, sed sequendum sit canonis, vel legis præscriptum; præsertim quia huic conciliari constitutioni sit additum decretum irritans, quod illico effectum operatur, & ligat etiam ignorantes, Bart. in auth. ut facta nova const. nu. 4. collas. 3. Phil. Francus in d. c. fin. nu. 11. in fine. gloss. pragmat. sanct. tit. de conclusionibus Eccles. Gallic. ad verb. à die data, vel in c. cognoscens nu. 7. De consensu.

Cæterum rem paulò propius expendendo, aliud nobis in proposito dicendum videtur, verum ac ratum matrimonium per præmissa contractum esse inter dictos Martinum & Hesterem; ita ut discedendi ab illo neutri sit potestas: quippe cum superscripta verba consensum de præsentem exprimant, dubium non est, quin secundum veterem

Conf. Wamek. Tom. II.

tera iura matrimonium sic sit contractum, à quo neuter recedere possit, c. Tua fraternitati, c. Si inter de sponsal. * Et quamvis prædictum decretum Concilii in habiles faciat ad contrahendum matrimonium, qui omittit istam novam formam id contrahere laborant; non potest tamen huiusmodi decreti, & novæ formæ necessaria observatio transferri ad ea loca, ubi Parochorum nullus est usus; ut non est in Regno Angliæ, ubi Catholica fidei observatio publicis edictis sublata est; subintroducto usu hæreticæ pravitate: poenâ etiam adversus Catholicos publice vel secretè Catholicæ fidei sacramenta & ritus observantes, statuta. Itaque constitutio nova de Parocho loquens, intelligenda est de ijs locis, ubi Parochorum copia & usus haberi potest, non etiam ubi non potest: quia necessitas contrariæ observationis, quam ius improbat, licentiam tribuit his, qui in integritate fidei Catholicæ persistunt, actum hunc explicandi meliorem quo fieri potest modum; prout necessitas in alijs multis casibus licitum facit, quod cessante necessitate ex iuris dispositione illicitum est, can. Quod pro necessitate 1. q. 1. * Vnde est, quod prohibitio iuris de non celebrandis Missis nisi in locis consecratis, effectum non habeat, cum necessitas imminet eas extra huiusmodi loca celebrandi, c. Sicut de consecrat. distinct. 1. Ausub. ut in privatis domibus sacra mysteria non sint collata. 5. quam necessitatem facit etiam hæreticorum violenta invasio, & sacrarum Ecclesiarum vel occupatio vel everfusio, c. Concedimus de consecrat. distinct. 1. * Vnde et idem est, quod traditur, antecedentem Lateranensis Concilii (quod sub Innocentio Tertio celebratum fuit) constitutionem de præmittendis bannis seu proclamationibus, antequam ad matrimonij solemnizationem perveniatur, non obtemperare, si illarum faciendarum occasio nulla est: veluti si forte Ecclesia interdicta sit supposita, vel aliud incurrat, ob quod huiusmodi banna fieri non possint; ut et casu sufficit publicatio quocumque modo aliter facta, Hostiens. in c. cum inibi bitio ad verb. in Ecclesijs, & ibi Gausfred. vers. quid ergo si castrum De clandest. despons.

Nec in proposito necessitas observationis huius novæ formæ minor censeri debet, quod in dicto Regno Angliæ in singulis parochiis sit, si non Parochi, saltem hæreticæ doctrine velut sacerdotes, quos ministros vocant: nam ius, quantum fieri potest, communionem cum hæreticis prohibet, nec ab eis sacramentorum exhibitionem postulari facile patitur; cum eorum benedictiones, & assistentiæ in maledictionem convertantur, c. Non oportet cum duob. seq. c. Arrianos, cum multis alijs seq. 1. q. 1. Sic ut ad sustinendam perpetuitatem, & irrevocabilitatem huius matrimonij sufficiat, quod hi contrahentes in hæretico Regno, quantum fieri potuit, se conformaverint ritibus Ecclesiæ Catholicæ, contrahendo in manibus Sacerdotis Catholici, quæ habere poterant, & in præsentia fidelium Catholicorum; quibus id apertius in publico facientibus capitale, aut supra modum exitiosum futurum erat. * Proinde vera clandestinitas hic constitui non potest, in his, qui id eo modo, quo tunc commodissime poterant, fecerunt: non ut clandestinum esset clandestinitatem

T 12

affectum

affectantes; cum propriè clandestinum dici non possit, quod palam coram pluribus fit, *l. Palam De verb. signif.* sed quod fit in secreto atque obscuro, animo celandi, *l. 1. de furtis, l. 3. §. ult. cum l. seq. Quod vi aut clam*; qui animus in his contrahentibus constitui non potest, in re tam apertè facta, & postea ex longiore temporis intervallo reiterata & confirmata. Quæ reiteratio, & confirmatio efficit, ut proflus improbabile, nec ulla ratione admittendum sit, quod Martinus nunc asserere videtur; le huiusmodi verba protulisse non animo habendi matrimonium, nec in illud consensisse: nam verborum tenor & forma rei aliud evidenter demonstrat; omnemque vel libidinis, vel metus cuiuscumque præsumptionem avertit dictæ promissionis, ex tam longo temporis intervallo, facta reiteratio: * reiterata quippe, & geminata, deliberati constantisque animi significationem inducunt; & ut deficientis voluntatis, quam verba significant, item erroris, ita quoque metus opinionem seu præsumptionem excludunt, *Gloss. in c. Ex literis De divor. Alex. ad l. 1. C. De errore calc.* etiam tunc cum in priore actu metus vel mortis aut omissionis bonorum constitui potest, *c. 1. De hiis qua vi metusve causa sunt*; præsertim in contractu matrimonij, *cap. ad id quod Desponsal. & matrim. c. De illis in fine De despons. impub.* in quo non facile creditur asserenti aliam voluntatem, quam verba contractus exprimunt, *c. Consultationi Desponsal.* potissimum cum contrariæ voluntatis assertio tendit ad deceptionem & fraudem, contrariam voluntatem asserentis, *c. Tua nos eod. tit. & metus*, qui prætextitur, talis est, qui constantem virum movere non posset, *c. Veniens 2. d. c. Consultationi*; qualis dici non potest, quod Martinus prætextit, ex eo solo, quod bona sua fuerint in manibus patris dictæ Hæsteris: nam detrectando hoc matrimonium ab initio, non poterat esse in periculo illorum amittendorum; cum iure cogere potuerit illum ad eorum restitutionem, *l. Non est verosimile De eo quod metus causa*: ita ut hic prætextus notoriè vanus sit, & in omnem eventum per subsequentem ex longiore intervallo repetitionem ac confirmationem omnimodo discussus ac sublatus.

Nec rursus quicquam ad invalidandum hoc matrimonium facere potest, quod Martinus & Hæster legitime & secundum præscriptum dicti Conciliaris decreti, contrahendi matrimonij causa in Flandriam brevi trajectu trajicere potuerint; nam illius faciendi nulla præscripta est necessitas; cum id canon non requirat, imò in effectu non permittat. Trajiciendo enim, & ad alium locum se conferendo, nihilo magis observari posset Concilij præscriptum: cum quoque transissent, proprium Parochum inventuri non fuissent; nec ibidem in momento huiusmodi contractum facere potuissent: non enim electio proprium Parochum facit; sed domicilium & habitatio assidua, saltem ex intentione, *c. ult. De paroch. & alien. paroch. & ibi Gloss. in verb. habitatores*. Ita ut cum huiusmodi consilio, & cautione sibi consulere tunc non potuissent, nec ad id cogi potuissent, omisum ad culpam eis referri non debeat: præsertim quia hac in re non tantum difficultatis ratio observetur, sed etiam impossibilitatis, quæ legem non

habet.

Proinde non existimamus eam fuisse, vel dicti sacri Concilij, vel felices recordationis Pij Quarti in dicta sua declaratoria Bulla mentem aut voluntatem, ut eodem necessitatis vinculo constringerentur, quibus observandi illius nec occasio, nec potestas est; multò minùs ad quos ex publicatione notitia illius pervenire non potest: quo casu plerique existimant; etiam eas constitutiones, quæ tempus præscriptum, & clausulam decreti irritantis continent, non ligare nisi ex die publicationis saltem in provincia factæ, *Alex. cons. 52. In causa & lite in princ. vol. 7.* De quo in proposito dubitandum esse non videtur: ob id, quod huic decreto conciliari de sic contrahendo matrimonio, *d. Sess. 24. c. 1. de refor. matrim.* specialiter hoc additum sit, ut robur suum in unaquaque Parochia habere incipiat post triginta dies à die publicationis, non Romæ, vel alibi, sed in eadem Parochia factæ; ita ut generalis publicatio omnium decretorum dicti sacri Concilij, & declaratio illi accommodata non porrigat vires suas ad hoc decretum de matrimonio, quod speciale habet temporis definitionem: generi enim per speciem derogatur, *l. Sanctio legum & ibi Bart. De panis c. Generi De regul. iuris l. 6.* Proinde cum ex die publicationis in unaquaque Parochia potestas huiusmodi decreti conciliaris constituatur; certissimum esse videtur, necessitatem nullam esse observationis ijs locis, ubi publicatio nulla facta est; & omnium minime, ubi fieri non potuit. Ex qua consideratione subvertuntur omnia, quæ superius de generali publicatione & declaratione prava ex adverso proposita sunt. Nec dubitamus, quia sua Sanctitas super hoc interrogata ita ad casum præsentem sit responsura.

Additio.

AD instruendum Venerabilem Dominum Officialem Brugensem Iudicem in causa & lite matrimoniali, coram eo instituta per & inter Domicellam Hæsterem S. Atricem, ac Martinum de R. Reum, abunde sufficere poterant, quæ ante hanc litem in iudicio proposita, præ sustinendo matrimonio inter dictas partes satis amplè scriptimus; nobis nostraque sententia subscribentibus septem sacre Theologiæ Doctores, & in alma Universitate Lovaniensi Professoribus. Sed quia causa in litem postea deducta, ultrò citroque acta & peracta, alium statum, hoc est, non tantum judicalem sed etiam inficalem constituit, propter negationes & inficiationes dicti Rei; propter quas non hoc solum nunc quaeritur, an legitime, ac rite, sed an de facto etiam inter prædictos litigantes contractum sit matrimonium; repetito & ampliato labore, eoquæ non ad nudam partis agentis propositionem, ut priùs, sed ad acta huius litis accommodato, utrumque deducemus: sufficienter scilicet ex parte Atricis probatum esse prædictum contractum; eumque sicut intus est iure subistere, & effectum plenissimum sortiri debere. Atricis intentio & propositio est, quod tertio mensis

mensis Augusti anno millesimo quingentesimo septuagesimo secundo, in quondam parvo campo prope domum Ioannis S. Paris dictæ Atricis sub parochia de Lambicht Witoniensis Diocesis in Anglia, dicti Hester & Martinus sibi invicem promissiones matrimoniales fecerint, ac fidem matrimonialem dederint, his verbis Hispanice in scriptum prius per chartulam redactis, & primum per Martinum prolatis: *yo Martin de R. to-ma & Ester de S. pour mie sposa e miger desta dia a de-lante por todo mi vida & para ello la dei misse e verdad*: Deinde eadem formulâ nullo verbo, nisi transpositione personarum, mutato, per Hesterem incontinenti vicissim & reciprocè ad Martinum promittatis. Cui huiusmodi chartulæ fidei dationis singuli respectivè manu propriâ subscripserunt. Ex quibus reciprocis fidei dationibus Atrix concludit ad declarationem matrimonij perfectè contracti, & ut Reus condemnatur ad matrimonium hoc in facie Ecclesiæ solemnizandum, & ad Hesterem maritali affectione & honore tractandum. Quorum quidem verborum sic ad invicem prolatorum vim, & virtutem metuens Reus, confidentiâ difficultatis probandi pertinaciter negavit se illa verba protulisse; & longè pertinacius dictæ sedulæ seu chartulæ se fidei datione subscripsisse, oblato etiam proprio juramento, quod non recorderetur, aut sciat se scripsisse, aut illa verba protulisse. Itaque hoc in primis discutiendum est, num in actis hujus causæ extet sufficiens probatio dicti contractus, sic utrimque ac reciprocè prolatorum verborum, & dictæ scripturæ, seu subscriptionis.

Sanè hoc Domino Iudici adversus Reum admodum suspectum esse debet, quod Reus in prima sua responsione ad libellum Atricis, aperta negatione usus non sit: sed tacite confitendo contractum, seu fidei dationem ac scripturam, hoc tantum respondendo dixerit, quod neget se liberâ vel spontaneâ voluntate dixisse, scripsisse, subscripsisse vel fecisse eâ, quæ Atrix in suo libello proponit. Item illud, quod Reus probationes Atricis de sic contracto matrimonio metuens, ad hoc confugiat, & mordicus in eo insistat, quod non sit legitimè, & ritè contractum. † Et si enim qui excipit de metu, de defectu solemnitatibus, aut aliâ causa adversus Actoris intentionem, non censetur eandem intentionem agnoscere aut confiteri, *l. non unque de except. c. cum venerabilis eod. tit.* tamen quando factum, quod in exceptione ponitur, includit factum in intentione Actoris propositum, confetur Reus excipiendo confiteri, *Bart. in d. l. non utriusque, l. d. Romanus in l. cum mulier nu. 22. Solutio matrim. veluti si dicat debitum, quod petitur, legitimè seu solemniter non esse contractum*. Unde qui per Actorem fundamento actionis posito in emancipatione, excipit illam non ritè seu rectè esse factam, ipse hoc probare debet, *l. ab ea parte de probat.* Cum enim Reus non factum ipsum aperte negat, sed jus ipsius facti, factum confiteri censetur. Quod quidem potissimum tunc obtinet, cum præter tacitam hanc confessionem, Actor ipse aliquid saltem de facto intentionis suæ probat; & maxime ubi Reus obiectat exceptionis factum non probat, *Felin. in d. c. cum venerabilis nu.*

Conf. Wamel. Tom. II

13. nam tunc exceptio videtur resolvi in confessionem. Cum itaque ex infra deducendis constet, Atricem per testes & instrumenta intentionem suam satis probasse, & Reum in allegato metu, & obiecta nullitate contractus defecisse, rectè constituitur in dicta exceptione inetus & nullitatis tacita confessio sic contracti matrimonij; aut saltem (sunt enim in hoc juris articulo Doctorum sententiæ admodum variæ, vide eundem in d. c. cum venerabilis nu. 19.) idoneum adminiculum ad confirmandam, & juvandam probationem Atricis.

Seposita hac cogitatione, & consideratione tacitæ, seu præsumptæ huiusmodi confessionis, extat nihilominus in actis hujus causæ idonea & sufficiens probatio matrimonij, sic ut præmittitur dicta tertia die Augusti anno 1572. inter Atricem, & Reum contracti. Nam id apertissimis testimonijs probant non tantum Ioannes S. pater Atricis; verumetiam M. Christophorus S. & Alonfus de B. primus, tertius, & quartus testes per Atricem producti: qui uno ore, & conformiter testificantur contractum esse eâ formâ, ut Atrix libellando, & articulando proposuit. Laborat Reus, ut his testibus fidem detrahat: primum ex conditione & qualitate personarum; post deinde ex diversitate, seu discordantiâ testimoniorum. Nam dicto Ioanni obijcit, quod inidoneus testis sit, nec fidem mereatur in causa suæ filiæ, in *l. parentes c. de testib.* quodque in hac causa pars sit, & ad eam procuratorem constituerit; quod facultatibus lapsus sit & eas decoxit; quod diffamatus sit de adulterio, & alioqui vitâ & nomine infamis: quæ omnia partim probata non sunt, partim non relevantia. Equidem de decoctione, adulterio, & infamia, non tantum nulla extat idonea probatio; sed ex adverso de vitâ illius integritate, ex parte Atricis probatum est per luculentia eulogia, testimonia, seu certificationes non tantum privatarum personarum, sed etiam Legati Regiæ Catholiciæ Majestatis ad Regnum Angliæ. Quibus certificationibus solis, etsi fides plenissima ex rigore juris adhiberi non deberet, *l. 3. §. idem Divus Hadrianus de testib. d. Divus Hadrianus de custod. & exhib. recor.* quia testibus, non testimonijs credendum sit: in concursu tamen generalis præsumptionis juris, quod quilibet in dubio præsumatur bonus, & integræ conditionis, nisi contrarium aperte probetur, *c. dudum de præsumpt.* proclivius huiusmodi certificationibus bonæ & integræ conditionis attestationem habentibus fides adhibenda est; eoque magis in proposito, quod dictus Ioannes, propter obiectas in hoc processu huiusmodi probrofas exceptiones, Reum in jus pertraxerit, & ad huiusmodi objectionis seu exceptionis injuriolæ cassationem & expunctionem concluderit, & ad hoc faciendum eundem Reum condemnari obtinuerit: ut constet ex sententia in fine hujus processus exhibita. Infamia itaque, seu probrofa vitæ nota huic testi obiecta vim nullam habere potest. Ut nec habet obiectio, quod sit pater Atricis. * Et si enim regulariter verum sit, patrem inidoneum esse testem in causa filiæ, *d. l. parentes, l. testis de testib.*

T 3

testib. c. Super eo eod. it. hoc tamen iure singulari receptum est, quod in causa matrimoniali, potissimum cum filia stat pro matrimonio (ut est in hac lite) parentum testimonium sit idoneum, nisi longè inferior sit conditio filiarum, quam illius, quem illa in matrimonium asserit, quoad honores, divitias, dignitatem, nobilitatem, vel potentiam, d. c. Super eo; quasi in hac nimia disparitate, parentum testimonium plus æquo suspectum sit. Sed cum Reus de magna disparitate conditionis inter eum, & Atricem nihil probaverit, & modica seu non exorbitans disparitas hac in re non avertat parentum testimonium, Gloss. in d. c. Super eo vers. vel modica, disparitatis non est habendaratio.

Sanè magis urget, quod de procuratorio, seu mandato dicti patris ad hanc litem proponitur: id enim efficere videtur, ut hæc causa sit eidem patri velut propria: in propria autem causa aut in re sua testimonium nemo rectè dicat, l. Nullus De testib. Verùm cum hæc sit instituta, contestata, & ad finem perducta sub nomine solius Hesteris; ut constat ex literis citatorijs, libello, alijsque omnibus scripturis & actis judicialibus; quorum nullum sub nomine dicti Ioannis factum est: non potest ex nudo mandato seu procuratorio ad litem dici, quod lis sit ipsius Ioannis; nam solum mandantis mandatum non sufficit, nisi & mandatarius illud suscipiat; cum datum non suscipere liberum sit, l. Si mandaverit §. fin. Mandati. * Et si igitur dictus Ioannes & Hester conjunctim in dicto procuratorio constituerint procuratores, & virtute ejusdem procuratorij substitutus sit Angelus B. non constat tamen, quod illud nomine, & ex parte Ioannis suscepit, sed dumtaxat ex parte Hesteris, ideo quod illius solius nomine tantum hanc causam egerit, non etiam nomine Ioannis: ex sequenti enim actu intelligitur voluntas in antecedenti, l. Servus qui bona fide §. fin. de acq. rer. dom. Bald. & alij in l. Qui non militabat §. 1. De hered. instit. Stat ergo dicti Ioannis testimonium, & quidem cum stabilitate; propter accedentia testimonia aliorum duorum testium, quibus ex ratione consanguinitatis nihil obijci potest, Bald. cons. 10. In questione nu. 4. vol. 5.

Quod attinet ad personam, conditionem, ac depositionem M. Christophori S. obijcitur illi, quod sit hæreticus, quod patri Atricis familiaris, & linguæ Hispanicæ imperitus: hæreticus autem contra orthodoxum Christianum testis esse non possit, l. Quoniam multi c. De heret. & familiaris testimonium sit suspectum, nec satis idoneum, c. In literis De testib. l. Etiam c. eod. & imperitus linguæ eorum, qui contrahunt, ut nec interpretes, ita nec contractus testis esse possit, DD. inf. 1. §. eadem De verb. oblig. Sed & in his exceptionibus probatione destituitur Reus; qui aliud argumentum, quod dictus Christophorus sit hæreticus, non proferit, quam quod in Anglia natus, inter hæreticos habitet: quod sanè argumentum non concludit; cum nihil vetet, quin inter hæreticos habitent, qui fidei constantiam retinent, & orthodoxi sunt; & è contra inter orthodoxos, seu in regione, quæ universaliter catholicam religionem retinet, communiter etiam hæretici esse possint: quod evangelica, & apostolica traditio satis demonstrat, 1. ad Corinth. c. 2. 1. Salvator. 2. q. 3. & usus quotidianus. Quod ipsum

etiam patet ex testimonijs testium per Reum productorum, diceptum in Anglia etiam esse catholicos presbyteros; ita ut præsumptio, quam Reus ex loco defumit, sit omnino fragilis & non concludens. * Deinde ut familiaritas aut amicitia testi obiecta testimonium eleve, vel testem in suspicionem inducat, oportet illam esse maximam & vehementem, can. Si testes §. testium 19. q. 3. rator. in c. Accedens 2. nu. 8. Ut litem non contestata; quia vulgaris qualibet causa domesticitatis non est sufficiens ad subvertendum testis testimonium, d. Etiam c. De testib. * Imperitia quoque linguæ, ut illi testi obicit, requiritur, ut penitus sit imperitus; alioqui aliqualis intelligentia sufficit, DD. in d. §. eadem: cum aliquo intellectu facilis sit lingua Hispanica. Imò in huiusmodi rebus non necessario requiritur scientia seu peritia linguæ; sed sufficit intelligentia, quæ ex sensu percipi potest, l. Qui testamento §. fin. de testam. Iason. in d. §. eadem nu. 4. prout dubium non est, dictum Christophorum percepisse; præsertim quia Notarius huic contractui fuerit adhibitus, & de eo confecerit instrumentum publicum, ut mox dicetur: sic ut nihil adferatur, ex quo dicti M. Christophori testimonium in suspensionem aliquam trahi possit; præsertim accedentibus alijs adminiculis circa probationem dicti contractus, de quibus antè dictum est, & post latius dicetur.

Ad derogandam fidem testimonio prædicti Alonsi de B. obijcitur, quod sit vagus, pauper, vilis, abjectæ & exiguæ conditionis, fraudatis creditoribus non solvendo, domesticus, & familiaris, ac debitor patris Atricis. Sed hæc congeries tam multarum in genere, non in specie, obiectarum exceptionum, quarum Reus nullam probavit, effectum aliquem habere non potest: præsertim quod ex epistola, quam Reus ad eundem Alonsum scripsit, & Atrix in hac causa exhibuit, contrarium satis convineatur. Per illam enim constat, illum esse virum honestum, & ex honestis prognatum, idque cupere, ut relicta Angliâ in Hispaniam se transferat, ubi in honore vivere possit; huiusmodi enim assertio dictis exceptionibus contrariatur, & naturali juris præsumptioni, quod quilibet bonus sit, d. c. Dudum, adversatur; ita ut quod nunc in contrarium ei obijcit, nullius momenti sit. * Tum etiam per dictam epistolam, quæ paulò antè hanc litem institutam scripta est, manifestè apprehenditur, Reum metu detegendæ revocitatis, & testimonij, quod de contracto matrimonio eum dicere posse sciebat, ad hoc per blanditias & ostentationem, seu promissionem munerum laborasse, ut illum in Hispaniam revocatum subtraheret Atrici, & sic difficultatem probationis illi faceret; per quem conatum manifestè ostendit se iniquam causam fovere, ut expresso iure decusum est, c. Constitutus 1. De testib. l. Providendum c. De postulando; & ex multorum sententiâ ob id in causa succumbere debeat, DD. in d. c. Constitutus & in c. Pervenit 1. De testib. cogen. Est itaque sic in tuto quoque collocatum dicti Alonsi testimonium.

Cujus, ut nec testimonio præfati M. Christophori ob stare quoque non potest, quod Reus dicat, hos variè deponere; ex eo quod M. Christophorus testifican-

testificando dicat se nescire, quāvis chartulam fidei dationis scripserit, eamque scriptam esse ante tempus contractus, & Actricem ac Reum junctis manibus illam legisse; Alonsum verò deposuisse, quod præsentibus Actrici & Reo; item M. Christophoro & patre Actricis, post fidei dationem hanc chartulam ipse scripserit, ideoque horum testimonio tamquam varia non probare, *l. Qui falso l. Ob carmen §. ult. De testib. §. & licet sub fin. in Authen. de testib.* quia collata inter se horum duorum testimonio, contrarietatem aut variationem nullam continent. Nam Alonsum non dicit chartulam scriptam fuisse, vel tempore prædictæ fidei dationis, vel post illam, sed hoc tantum, quod super hujusmodi promissionibus (non dicit factis) ad requisitionem partium (hoc est Actricis & Rei) & ipsis (non dicit M. Christophoro) præsentibus, fuerit per testem ipsum Alonsum scripta: ita ut non obscurum sit, hanc chartulam, ante eum congressum in dicto parvo campo fuisse conscriptam, ut ex ea verba fidei dationis certius proferrentur. Neque enim testimoniorum contrarietas, aut diversitas admittenda, nec captanda est, nec eam cavillatione aliqua exaudienda seu accipienda, *Bald. in c. persona de testib. Decius consil. 100. in causa inquisitionis*, sed interpretatione sic adjuvanda, ac concordanda in dubio, ne vel sibi, vel invicem contradicant, *Bald. in l. De quibus sub fin. vers. sed quid si testis de legib. Angel. in l. Ex militari in fine de milit. testam.* Quod hic difficultatem habere non debet; ob id, quod testimonium Ioannis S. per omnia concordet cum testimonio Alonsi; & dictus M. Christophorus dicat se ante illum congressum in Anglica lingua patri Actricis dictasse illam fidei dationis formulam; quam verosimile est patrem Actricis, seu dictum Alonsum etiam ante eundem congressum vertisse in linguam Hispanicam; & sic descripsisse ac descriptam in dicto congressu prolatam per Actricem & Reum in præsentia dictorum testium in humeris dicti Alonsi subscriptam esse. Stant igitur ex præmissis rationibus solidè in una conformitate & consonantia horum trium testium testimonia, ex quibus solis bonis vir arbitrari debet hunc sic allegatum contractum matrimonij, per verba de præsentibus inter Actricem & Reum initi, plenissimè esse probatum.

16 Ad quam probationem ex superabundanti accedit instrumentum notariale per prædictum M. Christophorum de eodem contractu ad rogationem dictorum contrahentium conscriptum, & in actis hujus cause exhibitum: quod cum publicum sit, & sic probatum, non probandam probationem faciat, *Bald. in l. Imperator de statu hom. post. ad Rub. c. de fide instrum.* fidem mereri debet, & pro eo standum est, quamdiu contrarium non probatur, *l. Cum precibus de fide instrum.* Et quod dicti instrumenti testes sint tantum Ioannes & Alonsum, fidem instrumento non detrahit, ex causis, quas paulò antè pro sustinendo eorundem testium hoc 17 iudiciario testimonio deduximus. * Cum alioqui facilius admitatur testis instrumentarius, & difficilius oppugnetur ejus adhibitio, quàm iudiciarius: od id, quod instrumentarius ab utraque parte rogetur; non etiam testis iudiciarius, *Gloss. in Authen. de testib. §. & licet. Cepolla cautela 219.* Quo instru-

Conf. Wannel. Tom. I.

mento notariali, ac dictis etiam testium depositionibus deficientibus, ejus rei amplissima, ac sufficientissima probatio constituenda esset in prædicta fidei dationis scedula; in qua omnia continentur, quæ ad substantiam matrimonij, perfectè & irrevocabiler contrahendi; de jure requiruntur; verbis etiam majore intentione amplificatis, quàm juris dispositio necessariò requirit, * cum 18 ad constituendum purum, præsens, & perfectum matrimonium sufficiat, si uterque contrahentium dicat: *Ego te in meam, & ego te in meum accipio, vel ex hoc tempore te pro coniuge teneo, vel sicut uxori tibi fidem servabo, & si inter & c. Ex parte De sponsal.* Quæ quidem chartula etsi sit scripta per alium in parte dispositiva, ad obligandum tamen sufficit, quod contrahentes ipsi dumtaxat subscripserint. * Subscrip- 19 prio enim, seu subsignatio, eas vires & effectum habet, ut perinde obliget subscribentem, atque eum, qui totam cautionem, seu syngrapham scripsit & subscripsit, etiam si alius superiora scripserit: & sic subscribens censetur affirmare & approbare, quæ in superiore parte scripta sunt, & si illa obligantia sunt, se obligare, *l. Si ego §. dotis de iure dot. l. videiussor 2. §. pater de pignor. l. si ita stipulatus §. Chrysogonus de verb. oblig. Bart. in l. Emptor §. Lucius de pactis*: quia, ut dicit Angelus Perusius, in d. §. Chrysogonus, qui subscribit scripturæ per alium scriptæ, censetur virtualiter scribere omnia præcedentia in illa contenta.

Quoniam igitur apertissima & plenissima est probatio, quæ conficitur ex confessione adversarii 20 live vivâ voce, live scripto; cum superet omne genus probationis, *Gloss. & DD. in l. Cum te Cod. de transact.* & nimis indignum sit, ut quod suâ voce, aut scripturâ quisque dilucidè testatus est, declaravit, ac promissit, id velle infirmare, & proprio testimonio resistere, *l. Generaliter c. de non num. pec.* nihil est, quod ad pleniorē probationem hujus matrimonij requiri possit. Quod Reus præsentiens, effectumque probationis, qui ex dicta fidei dationis chartula, in hac causa confurgeret, metuens, si confiteretur dictam chartulam manu suâ esse subscriptam, seu subsignatam, nusquam in actis hujus cause, quamvis sæpius requisitus, suam hujusmodi subscriptionem recognoscere voluit; nusquam etiam eam simpliciter, vel absolute negavit. Quo factum est, ut, cum postmodum ad pleniorē responsum premeretur, obrulerit jurare se non recordari, quod fecerit signum manuale prædictæ scripturæ adjectum, nihil respondendo ad subscriptionem proprii nominis & cognominis. Ita ut non possit non esse suspectum, quod 21 Reus ad solum signum, quod subscriptioni additum est, non etiam ad suam scripturam, nominis, & cognominis responderit: * meritòque ob id ejus hujusmodi perveracia & tergiversatio haberi debeat pro aperta confessione: qui enim in iudicio vel per adversarium, vel per Iudicem, interrogatus non respondet, pro confitente habetur, si id utilius est adversario, *Bart. & alij in l. de etate §. qui tacuit de interrogat. act.*

Sed nihil necesse est eò confugere: extat enim in actis plenum de veritate hujus scripturæ testimonium trium cõformiter deponentium testium; videlicet præfatorum M. Christophori, Alonsi, & Ioannis;

Tt 4

Ioannis;

Ioannis; qui uno ore testificantur, hanc chartulam fideidationis, quæ in hac causâ exhibita est, illam eandem esse, ex qua Aëtrix, & Reus hinc inde & reciprocè legerunt, & protulerunt verba fideidationis, & quæ interpolata hoc matrimonium contractum fuit; quodque viderint Reum, & Aëtricem huiusmodi chartulæ manibus propriis subscribentes; idque in humeris, seu scapulis prædicti Alonsi: in campo enim non erat mensa aut aliud, cui ad subscribendum eadem chartula imponi posuisset. Sic ut liquidd constet de identitate ipsius scedulæ, nec ullus sit metus, aut præsumptio mutationis, aut suppositionis; præsertim quia dictus M. Christophorus suæ depositioni hoc etiam addiderit, quod tempore contracti matrimonii, & postquam illud sic, ut præmittitur, contractum erat, eadem chartula sibi fuerit tradita ad conticiendum inde prædictum instrumentum notariale, de sic contracto matrimonio, per verba de præsentia, interpolata hac chartulâ; quodque ab eo tempore continuè usque ad illius exhibitionem fuerit in manibus ipsius M. Christophori.

- 22 Deinde constat quoque de veritate subscriptionis non tantum ex eo, quod dicti testes scripturam subscriptionis recognoscant ex ratione similitudinis, aut comparationis ad alias eiusdem Rei scripturas, quo casu in nimia juris scrupulositate disputari posset, an sufficiens foret huiusmodi testimonium, *vid. in l. Comparationes C. de fide instrum. sed etiam ex eo, quod idem prædicti tres testes dicant se vidisse, quod Reus hanc subscriptionem, & subsignationem manu propria fecerit: quo modo plenissimè alicuius scriptura probatur; quia qui hoc attestantur, manifestè demonstrant, se similitudine scripturæ (quod alioqui facillimè contingere posset, *in Auth. de instrument. cautela. & fide in princ. Bart. in Auth. At si contractus C. de fide instrum.*) non fuisse deceptos, sed indubitatam veritatem dixisse, *late socius consil. 274. in causa Domini 1754, vol. 2. Decius consil. 115. Vsq. inquisitione, socius minor consil. 57. Pro resolutione nu. 18. & seq. vol. 2.* & quidem non tantum ipsius scripturæ seu subscriptionis, sed etiam facti seu contentorum in scripturâ: quod genus probationis exactissimum est, nec perplexitati, aut dubitationi ullo modo obnoxium, *socius d. conf. 294. nu. 2.* Ita ut nihil necesse sit confugere ad fragile & difficile remedium comparationis ad alias dicti Rei scripturas, ut ex illis convincatur, hanc quoque scripturam esse eadem manu Rei scriptam, *d. l. Comparationes.* Cujus tamen occasio non deest in hac causâ, propter exhibitas decem epistolas per præfatum Reum ad Aëtricem, ad ejus partem, & ad præfatum Alonsum scriptas; quas Reus nusquam negat suas, & suâ manu scriptas; sed interpretando illas ad suum sensum, & pro suo libitu, satis apertè recognoscit: quæ sanè literæ, seu epistolæ non obscuram quoque significationem sic contracti matrimonii continent. Quod enim pertinet illa sollicita petitio, & exhortatio de hoc negotio dissimulando, secretè retinendo, & minime publicando, donec res suas Reus quoad parentes suos, & sua negotia in tuto collocaverit? Quod admonitio illa periculi, in quod ex præmura publicatione hujus negotii, non ipse Reus*

tantum sed etiam Aëtrix, totâ suâ vitâ cum illo incideret? Quod promissio Rei de hoc negotio ad finem, hoc est, ad publicationem perducendo? Quod denique ex zelotypia (quæ in conjugio exoriri solet, *Numerorum cap. 5. & 7. bid. & in c. Consultu. st. nu. 2. quest. 4.*) illa Rei sollicita ad Aëtricem admonitio, ut se abstraheret, & abstineret a conversatione aliorum, nec alios admittat, aut ipsa visitet, præsertim quendam Ministrum G, & declaratio illa, quod sibi ingratum foret, si intellexerit, quod Ioannes S. (pater scilicet Aëtrici) illam Domicellam (videlicet dictam Aëtricem) adhibeat, & assidere faciat mensæ suæ, unde solet dari occasio commessandi cum aliis? Quod, inquam, omnia hæc referenda sunt, aut referri possunt, nisi ad confessionem matrimonii secretè inter Aëtricem & Reum contracti?

De hoc porro contractu, ut adhuc major certitudo haberetur, Reo moras in eo publicando per integrum ferè annum necente, factum est, ut Aëtrix, & Reo iterum Londini convenientibus coram D. Ioanne F. Italo presbytero Catholico in Angliâ degente, & Catholicis ibidem degentibus sacramenta Ecclesiastica ritu Catholico secretè (propter metum hæreticorum) administrante, in præsentia supra nominatorum M. Christophori, Alonsi, & Ioannis patris Aëtrici, Reus & Aëtrix apertè confessi fuerint, sicut præmittitur, per eos contractum fuisse matrimonium; declarando se id ratum, & firmum habere: eaque confessione, & approbatione factâ, ex superabundanti, & pro maiore certitudine repetitum denuò fuit matrimonium (neque enim matrimonium est inter sacramenta, quæ reiterari non possunt, *extr. De sacram. non iteran.*) nam officium pastorale agente dicto D. Ioanne, Aëtrix & Reus iunctis per D. Ioannem manibus ex prædicta fideidationis scedula, iterum sibi invicem fidem matrimoniale per eadem verba de præsentia dederunt, osculo addito, & annulo per Reum digito Aëtrici immisso, subsecutâ benedictione dicti Sacerdotis, prout hæc omnia conformi doctorum quatuor testimonio in actis hujus causæ clarissimè probata sunt.

In concursu itaque tam multorum, non potest, non evidentissima dici probatio contracti inter Aëtricem & Reum matrimonij quoad ipsum factum; idque non semel tantum, sed etiam bis per intervallum iusti temporis: & quidem non omnino clandestinè, sed etiam publice, in præsentia plurium Christi fidelium; & sic in effectu in facie Ecclesiæ, quam facit iusta præsentia, & congregatio fidelium, *panor. in c. 2. de clandest. despons. Ioan. Andr. ad Speculat. tit. de clandest. matrim. aut saltem clandestinè sine reprehensione, cum publicè in facie Ecclesiæ contrahendi inter hæreticos occasio, ac potestas defuerit.* * Quâ ratione, ut publicum, ac velut in facie Ecclesiæ ad omnes etiam legitimi matrimonij effectus, contractum habetur, quod ab ægrotante, aut in extremo vitæ periculo constituto alibi, quam in Ecclesiâ contrahitur matrimonium juris solemnitatibus prætermis, *panor. in c. Commisum de sponsal. Ioan. Andr. in c. sine culpa de reg. iur. lib. 6.* Necesse enim legem non habet, & legum solemnibus non obstrigitur,

gitur, ut paulò post latius dicetur. Et ut omnino clandestinum dici posset hoc matrimonium, non iocirco dici etiam posset nullum, aut vinculo iuris carere. * Ethì enim Ecclesia reprehendat clandestinè contracta matrimonia, illaque clandestinè contrahi veter, *tit. De clandest. despons.* contracta tamen rata habet, *c. 1. & ibi Hostiun. & Pa-uorm. De clandest. desponsat.* (saltem ubi decretum Concilij Tridentini non vigeat) ut multa iure prohibentur, quæ tamen aliter facta rata habentur, *l. Patre furioso De his qui sui vel alien. iur.* Ita ut qui clandestinè contraxerunt matrimonium, compelli possint ad illud publicandum, & ut dicunt, solemnizandum, maritaliaque, & uxoria officia hinc inde invicem exhibendum; qui est finis, & conclusio in hac causa proposita.

Quam rei actæ apertam veritatem, & juris inde resultantis potestatem, veritus hujus causæ Reus, tria ad effugiendum vinculum matrimonij, adversus hunc contractum proponit. Primò, Aëtricem non potuisse cum eo contrahere matrimonium, propter antecedens ipsius cum quodam Iacobo M. contractum matrimonium; quod facit perpetuum impedimentum sequenti: cum nec iure civili nec iure Canonico aliqua possit eodem tempore duobus esse nupta, *cap. 1. De sponsa duorum* 26 *l. 2. C. De incest. nupt.* * Secundo, quòd metu sit contractum, ideoque etiam nullum: cum matrimonia ab omni metu debeant esse libera, & metu contracta pro nullis sint, *c. De muliere. c. Cum locum De sponsal. l. Titia De verb. oblig. Paulus Paris. consil. 53. Quamvis canones nu. 41. vol. 4.* Tertiò, quòd non sit contractum secundum formam novo iure per Concilium Tridentinum præscriptam, *Sess. 24. c. 1. De reformat. matrim.* coram proprio Parocho in præsentia fide dignorum testium, præmissis banis seu proclamationibus: siquidem Concilium non tantum annulat & nulla decernit omnia matrimonia aliter contracta, sed etiam inhabilitat omnes ad aliter, quàm observatâ suâ formâ contrahendum matrimonium. Verùm nullum est ex his tribus, quòd impedimentum facere possit, aut vitium nullitatis huic contractui superinducere. Nam quòd ad primum attinet, de præiudicio alterius antecedentis matrimonij, per Aëtricem formaliter negatum est, nec ullo genere probationis per Reum probatum; imò nec ullus testis super eo interrogatus invenitur: ita ut nuda allegatio facti, nullo genere probationis probati, Reo prodesse non possit.

Allegatio metus, quæ tam primo, quàm secundo contractui, seu potius renovationi & confirmationi prioris obijcitur, indeterminatam tantum continet metus allegationem; quòd scilicet Reus non spontaneâ voluntate dixerit, scripserit, subscripserit vel fecerit ea, quæ libello Aëtricis continentur; sed probabili & iusto metu adductus fuerit ad dicendum, scribendum, subscribendum, & faciendum ea, quæ dixisse, scripsisse, subscripsisse, vel fecisse pratenditur: nusquam interim in progressu litis causam, aut modum aliquem illati vel concepti huiusmodi alicujus metus proposuit aut deduxit. * Qui autem metu quid factum, ideoque nullum, vel rescindendum esse contendit, debet causam metus specificare per

allegationem, & probationem atrocitatis facti, unde metus viro etiam constanti probabiliter inferri potuisset. *l. Metum cod. De eo quod met. causa l. Metum autem d. eod. l. Interpositas C. De transact.* Nam aliter quàm in allegando & probando dolo, sine quo nullus iustus metus esse potest, necesse est indicia, argumenta, & circumstantias allegare & probare, unde dolus præsumi possit, *l. Dolum C. De dolo c. 2. D. venunt. lib. 6.* non sufficiente generali & indeterminatâ doli allegatione. * Oportebat ergò Reum ad nullitatem hujus sic prius contracti matrimonij constituendam ex metu illato, vel concepto allegare, deducere & probare vim aliquam, cruciatum corporis, minas, vel Aëtricem, vel ejus patrem ei intulisse tempore illius prioris sic contracti matrimonij, *l. 3. §. fin. cum trib. sequen. De eo quod metus causa;* quòd cum non fecerit, nihil prodesse potest generalis, & indeterminata metus allegatio; quæ ne quidem ad vani timoris præsumptionem inducendam sufficeret.

Circa secundum contractum initum, seu potius renovatum, quem Reus allegat metum in eo constituit, quòd pater Aëtricis conatus fuerit Reum occidere; ob id, quòd ab eo interpellatus & rogatus, Aëtricem ducere recusaret: eumque conatum ex eo probari, quòd idem pater graviter offensus Reum cum suo famulo, armis, & gladio sit infecutus; idemque pater, ac alij comminati sint, quòd Reum compellerent ad contrahendum matrimonium more Anglico coram aliquo ministro hæreticorum; & quòd præterea idem pater communi opinione hominum habeatur homo valde temerarius, quòdque ob metum ex hac temeritate conceptum, Reus iustam causam timoris & metus habuerit, cur iterum cum Aëtrice matrimonium contraxerit. Quæ circumstantiæ illati, vel concepti metus significationem, & argumentum aliquod continere videntur; cum non tantum metus mortis, sed etiam dubitatio, aut suspicio vulneris tantum inferendi, iustum metum constituat, *panor. & alij c. 1. & in c. Ad audientiam De eo quod met. causa;* præsertim ab homine lubito (ut scribit in simili Paulus Parisius, *d. consil. 53. nu. 52. & consil. 58. Agit coram nu. 63. & seq. vol. 4.*) & terribili, & qui manu promptus, & præceps est. Verùm nec hac ex parte aliquod periculum nullitatis pro tacto matrimonio imminet: & primum quidem, quòd non extet sufficiens & idonea probatio eorum, quæ ad constituendum hunc metum allegantur. Nam de temeritate vel terribilitate patris Aëtricis, nullum est verbum in testimonijs Rei, nec ulla de ea re in dubio constitui potest juris præsumptio; quæ quoad quemlibet constitui & assumi debet, ad bonum non ad malum, *c. Dudum de præsumpt.* Et de offensa patris Aëtricis, item de arreptione armorum, & insecutione ipsius, seu conatu occidendi, vel vulnerandi Reum, ex testimonijs, quos Reus produxit, solus Iudocus Q. decimus sextus testis secundâ vice productus deponit hoc tantum, quòd Reus post iurgia cum dicto patre secesserit ad domum Petri Martini, ad subterfugiendum furorem & invasionem dicti patris, qui comminatus erat Reum transfodere; & quòd idem pater post huiusmodi iurgium, accinctus gladio cum suo ministro, magno furore, & clamore do-

mum

mum suam exierit, clamando quod Reum occideret, si eum in venire posset. Sed hoc unus solus testis testimonium vim probationis habere non potest, l. *iurifurandi* C. De testib. l. *Maritus* De quest. & ne quidem ad semiplenam probationem: ob id, quod (ut idem testis deponendo fatetur) sit famulus domesticus Rei, qui in causa sui heri inidoneus testis est, l. *Etiam* C. De testib. Verum quidem est, Alonsum pro parte Aëricis productum deposuisse, quod post prædicta verba seu iurgia, inter Reum & patrem Aëricis habita, idem pater ex quadam officina acceperit gladium. * Sed ea in parte idem Alonsum quoque singularis est, & discordat à dicto Iudoco, qui dicit patrem gladio accinctum ex domo sua prodixisse. Et sic hac in parte nihil etiam facit testimonium præfati Alonli; quem et si Aërix ipsa in testem quoque produxerit, ideoque ex condicione ac qualitate personæ testimonium ipsius oppugnare vix possit, l. *Si quis testibus* C. De testib. potest tamen ex alia causa, & præsertim ex causa singularitatis dictum ipsius impugnari, Gloss. 1. inc. *Præsentium* De testib. Natta conf. 31. Non videbatur nu. 4. Thom. Grammat. decis. 34. nu. 12. Deficit igitur omnino Reus in probatione allegatarum minarum, atrocitatis facti, & circumstantiarum, unde metus argui possit; præsertim ex eo etiam, quod dictus Alonsum suo testimonio hoc addat, patrem Aëricis sic arrepto gladio nullas minas fecisse, nec Reum descendentem insequentum fuisse. Ita quod timor, quem Reus præterit ex dictis iurgiis, offensa, & arreptione gladii, sit vanus, & viro constante indigne; ideoque ad excipiendum, vel nullitatem proponendam inidoneus, l. *Vani* De reg. iur. d. l. *Mit* in autem.

30 Sed et si aliqua iusta causa, seu occasio concipiendi metus ex prædictis iurgiis, offensa, & arreptione gladii Reo præstita fuisset; nihilo magis prodesset illius allegatio ad subvertendum hoc matrimonium: idcirco quod illius vinculum non constituatur principaliter in secundo contractu, circa quem Reus hunc metum assumit, & allegat; sed in priore contractu, circa quem Reus non proponit aliquam patris offensam, indignationem, furorē, arma, aut minas; & sic vinculum, ex priore illo legitime contractum, ex sequenti metu in renovatione & confirmatione fortē abhilito, tolli non potest: metum enim futura, non præterita afficit, vel inficit. * Unde est, quod, qui verē debitum aliquo metu coactus solvit, illius repetendi facultatem non habeat, l. 2. & ibi Bart. & alij C. De eo quod met. caus. Panor. in c. 1. eod. tit. Deinde cum hic secundus contractus eodem illo die, quo proponitur patrem Aëricis offensum, arais cominatum fuisse Reo mortem, non sit initus; sed demum tertio die sequenti, nec probetur Reum tunc in aliquo metu fuisse, sed constet illum ultro eō descendisse; dici potest quod si quis metus antea illatus fuisset, is ex sequenti spontaneo actu fuerit omnino purgatus, l. 2. & ibi Bart. & alij C. De eo quod met. caus. Panor. in c. 1. eod. tit. Atque ita omnibus benè perpensis, ex allegatione metus ad commodum Rei nihil constitui potest.

32 Superest tertium, quod ad nullitatem huius

matrimonij, tam priore quàm posteriore tempore contracti, adfertur ex Concilio Tridentino. Quæ obiectio plus ponderis ac momenti habet, & in quo, omnibus discussis, residet huius causæ status, & præcipua illius difficultas; prout etiam Reus in eo plus præsidij & spei collocat: ob id, quod per Conciliare decretum, in d. c. 1. De refor. matrim. statutum sit, Quod qui alter, quàm præfatus parochus, vel alio Sacerdote de ipsius parochi, seu ordinarij licentia, & duobus vel tribus testibus matrimonium contrahere attentabunt, eos sancta Synodus ad sic contrahendum, omnino inhabiles reddat; & huiusmodi contractus irritos, & nullos esse decernat; imposita etiam penā non tantum aliter contrahentibus, sed etiam ijs, qui huiusmodi contractus aliter init, velut parochus, seu sacerdos, vel ut testes interfuerint. Ex qua nova sacri Concilij constitutione omnes penē veteres, seu priores canones, & iura de clandestinis matrimonijs ratis habendis abolentur. Cum itaque hoc matrimonium, ex quo Aërix agit, proponatur contractum diu post publicationem dicti Concilij, non coram Aëricis, vel Rei proprio Parocho, seu de eius licentia coram alio Sacerdote; existimat Reus ex non observata præscripta forma hoc matrimonium esse omnimodò nullum. * Præsertim quia 33 Pius V. Papa per suam Bullam sub data anno 1564. 15. Calendas Augusti, declaraverit, omnia decreta dicti Concilij ad reformationem, ac ius positivum spectantia, à Calendis Maij tunc proximè præteritis, omnes obligare cœpisse, nec post eam diem exculpationem cuiusquam, quod ea ignoraverit, admittendam esse. Cum enim tempus certum in lege, vel canone generali exprimitur, ex quo omnes incipiant ligari, standum est huiusmodi designationi; nec adhibenda differentia inter scientem & ignorantem; nec hoc requirendum, quod huiusmodi canonis vel legis publicatio facta sit in singulis provinciis vel diocesisibus, & cum singula & ibi Gloss. in V. per venerit De præben. lib. 6. gloss. in c. fin. De reg. iur. lib. 6. Vsq̃ue adeo ut nec eo casu necesse sit expectare duos menses, sed sequendum & observandum est canonis vel legis præscriptum. * Potissimum quod huic Conciliari decreto, 34 seu constitutioni sit quoque additum decretum irritans: hoc enim statim effectum operatur & ligat etiam ignorantes, Bart. in Authent. Vt nova facta constit. nu. 4. collat. 5. vbi Franciscus in d. c. fin. nu. 11. in fine Gloss. pragmat. sancti tit. de collatione Ecclesie Gallicane ad verb. à die date, vel in. inc. Cognoscimus nu. 7. maxime quod hæc novi juris constitutio favorem causam continet; quia occurrit clandestinis matrimonijs, quæ etiam veteres canones semper detestati sunt, cum suspitione non careant, c. ult. De clandest. deponsat. Paulus Paris. d. consil. 53. in princ.

Sed nec hac ex parte constitui potest propositi 35 matrimonij nullitas; ob id in primis, quod hoc matrimonium sit contractum in Anglia, ubi dicti Concilij Tridentini publicatio facta non est; ideoque in ea degentes non constringat, aut obliget. Et si enim nova constitutio post duos menses obliget etiam ignorantes, & dictum decretum Conciliare ex decimo quinto die Calendarum Maij anno 1564. omnes obligare incepisse videatur: hoc tamen per idem decretum restringitur ad illos, in quorum

quorum parochia huiusmodi decretum specialiter publicatum est; ita enim habent finalia verba ipsius decreti: *Decretum insuper, ut huiusmodi decretum in unaquaque parochia suum robur post triginta dies habere incipiat, a die primae publicationis in eadem parochia facta numerandos.* Ita ut publicatio, vel Romae, vel alibi, in specie de dicto decreto, vel in genere omnium de cretorum dicti sacri Concilii, & declaratio Pij Quarti illi accommodata, non possit vires suas porrigere ad hoc decretum de matrimonio, quod specialem habet temporis definitionem; ideoque sub generali non continetur: generi enim per speciem derogatur, l. *Sanctio legum & ibi Bart. De pen. §. l. Generi De reg. iur. lib. 6.* Ut proinde observationis dicti decreti necessitas nulla sit, ubi illius publicatio nondum facta est. Et sic cum ante publicationem non inducatur veteris juris mutatio, & vetus jus non mutatum adhuc stare censetur, l. *Sanctus C. De testam. consequens est extra omnem dubitationem est, hoc matrimonium secundum eadem vetera iura contractum, ratum esse; & neutri contrahentium potestatem esse ab eo recedendi, c. *Tua fraternitati c. si inter De sponsal.**

Nec in proposito necessitas observationis huius novae constitutionis, ac illius formae, major censeri debet, quia (uti etiam Reus inter cetera obijcere videtur) in dicto Regno Angliae adhuc sint parochiae, & in illis, si non Parochi, saltem haereticae doctrinae velut Sacerdotes seu ministri, qui observata dicta solemnitate bannorum seu proclamationum in facie Ecclesiae matrimonia solemnizant: quia jus quantum fieri potest communionem cum haereticis prohibet, nec ab eis sacramentorum exhibitionem postulare facile patitur; cum eorum benedictiones, assentiones & cooperationes in maledictionem convertantur, *can. Non oportet cum duob. sequen. can. Arrianos cum aliquibus seq. l. q. 1.* Sic quod ad sustinendam perpetuitatem & irrevocabilitatem huius matrimonii, sufficiat, quod hi contrahentes in haeretico Regno, quantum fieri potuit, sese conformaverint ritibus Ecclesiae Catholicae, contrahendo in praesentia fidelium testium Catholicorum, & eundem contractum in praesentia Sacerdotis Catholici, eorundemque testium, velut pro solemnizatione renovando & confirmando; quibus contrahentibus id ritu Catholico apertius, & in publico facientibus, capitale aut supra modum exitiosum futurum erat.

Nec rursus quicquam ad invalidandum hoc matrimonium facere potest, quod ex adverso obijcitur, Aetricem & Reum brevi trajectu ex Anglia in Flandriam, vel Artesiam trajecere, & trajeciendo se conformare praedicto decreto Conciliari, ac sic a se necessitate contrahendi eo modo, quo in Anglia contraxerunt, avertere potuisse: nam illius faciendi, & de loco ad locum; & praesertim de provincia in provinciam causa contrahendi matrimonii secundum dictum novum praescriptum migrandi, nulla injuncta est necessitas; imo in effectu per dictum decretum hoc fieri prohibetur: *trajiciendo enim & ad alium locum se conferendo, nihilo magis dicti contrahentes se conformare potuissent dicto decreto; cum quocumque transissent, proprium suum Parochum inventuri non fuissent; quia proprium Parochum non facit*

anda aditio, seu electio, sed domicilium vel praesens habitatio, c. *ult. De parochijs & ibi gloss. in v. habitatores.* Ita ut cum sibi huiusmodi consilio, seu cautione tuto consulere non potuissent, omisso illius ad culpam ipsis referri non debeat: praesertim quod in hac re non tantum difficultatis ratio, & observatio obversetur, sed etiam impossibilitatis, quae legem non habet.

Proinde nihil etiam in contrarium urget, quod Reus dicit se in Anglia tempore huius contractus fixo non resedisse, nec domicilium fovisse; & Aetricem pluribus annis Antwerpiae resedisse. Nam quod ad Aetricem attinet, satis est illam tempore huius contractus in Anglia apud patrem resedisse, eoque loco coram Sacerdote, quem habere potuit, contraxisse: cum enim filius vel filia proprium sibi domicilium constitutum non habeat, quod pater habet, l. *Placet cum l. seq. l. Assumptio §. filius ad municipal. ex cuius domicilio constituitur ipsis jus parochiae, c. fin. & ibi gloss. in v. habitatores De parochijs;* sic ut nihil in proposito muret, quod Aetrix prius aliquando Antwerpiae a patre ibi collocata habitaverit. * Et quoad Reum videri potest etiam ex ipsius parte sufficere, quod Londini ante & post hunc contractum longo ac notabili tempore resederit; ad hoc saltem, ut dici possit ibidem forum & jus parochiale sortitus ad contrahendum matrimonium, juxta morem ac ritum loci illius; hoc est secundum veteris juris formam. Et si enim is, qui aliquid proficiscitur recreationis animo, aut ob aliam temporalem causam, inde statim, seu brevi tempore reversurus ad pristinam suam parochiam, ibi proprie non efficiatur parochianus, nec suam parochiam plane mutet, *Laba-rel. in Clem. 1. nu. 8. De privileg. anthonius Archiepisc. Florent. in tract. de excommunicat. c. 34. nu. 5.* qui tamen sic iusto & notabili tempore abest ac emanet, sicuti forum, ita & jus parochiae ibi sortiri censetur; si non jure domicilij, saltem quia ibi longiore tempore constitit, atque eo animo illuc non venit, ut confestim discederet, l. *Haeres absens §. proinde vers. at si quis ab eo de iudic.* Alioqui si tam praecise acciperetur dictum decretum Conciliare, non esset exteris & advenis, praesertim ex longiore provincia, jus contrahendi matrimonii in alia provincia; quod videri posset satis durum. Praeterea idem decretum non requirit praesentiam proprii Parochi utriusque contrahentium, hoc est, ut qui diversarum sunt parochiarum, utriusque parochi praesentiam necessariò habere debeant; sed requirit praesentiam Parochi utriusque contrahentium, hoc est alterutrum contrahentium seu ordinarii ipsius loci, in quo contractus matrimonii celebratur. Itaque si alteruter illorum eo loci domicilium habeat, forum ac jus parochiale sortiatur, in quo nondum receptum vel publicatum sit dictum decretum Concilii, cur non ex pari ratione sufficiat secundum veteris juris formam contrahi matrimonium, & de contracto sufficienter constare? Ex quibus omnibus existimamus officium Venerabilis D. Officialis esse, ut declaret, inter Aetricem, & Reum legitimum, & ratum esse matrimonium; & quatenus aliqua alia solemnizatione opus est, Reum ad solemnizandum, & Aetricem maritali affectione & honore tractandum

condemnet. Quod etiam proclivior esse debet, quod non obicitur ex actis huius causæ, & præsertim testimoniis dictorum Alonsi, Ioannis & Margaretæ H. confiter inter Reum, & Actricem post priorem contractum, intervenisse concubium & carnalem copulam.

Additio altera.

POST hoc responsum prodire declarationes aliquot Congregationis Illustrissimorum Dominorum Cardinalium, ad interpretationem Concilij Tridentini deputatorum, quæ ad illius confirmationem ac elucidationem valde faciunt, ideoque hic subiiciuntur.

- 41 An matrimonium non præsentem Parocho contractum in regione hæretica (qualis est Anglia) ubi non est copia Parochorum, sit irritum & nullum ex decreto Concilij; & contrahentes ad sic contrahendum reddat inhabiles?

Congregatio censuit decretum non extendi, si in Ecclesia, in cuius Parochia habitant contrahentes, nondum eo tempore, quo sic contraxerunt, erat, ut palam dicitur, publicatum hoc decretum; validum autem non sit matrimonium, si contractum sit post tri, infra dies à prima publicatione huius decreti facti in Parochia, intra cuius fines habitant hæretici, qui post sic contraxerunt.

Quid faciendum, cum duo clarescunt contrahunt aut contraxerunt, & in unius parochia publicatum fuit decretum; in alterius non item, in qua contrahunt simul?

Congregatio respondit anno 1583. decretum Concilij non obligare, si in ea parochia, ubi contrahitur, decretum nondum fuit publicatum.

- 42 Vbi constat decretum Concilij de reformatione matrimonij esse publicatum, vel aliquo tempore in parochia tamquam decretum Concilij fuisse observatum; sed parochialis Ecclesia proprio caret Parocho, & Cathedralis itidem Episcopo, nullusque alius ibi est, qui vices Parochi vel Episcopi suppleat, an matrimonium valeat absque præsentia Parochi?

Congregatio perperis consultationibus Episcopi Tricaricensis in partibus inferioris Germaniæ Nuncij Apostolici, respondit anno 1603. affirmative; matrimonium valere absque præsentia Parochi; servatâ tamen in eo, in quo posset, formâ Concilij, nempe adhibitis saltem duobus testibus.

Item si extent quidem Parochus & Episcopus, sed nullo constituto vicario, uterque metu hæreticorum lateat; ita ut verè ignoretur ubinam sint, vel ob metum à diocesi absint, nec ad alterutrum sit tutus accessus, an validum sit matrimonium contractum absque forma Concilij?

Congregatio respondit validum esse; adhibitis tamen, ut dictum est, duobus saltem testibus.

Subscriptum

HIERONYMVS CARD. MATTHÆVS.

De sponsalibus & matrim.

S V M M A R I V M.

Matrimonium coram Ministris sæcularis contractum,

1. Matrimonium cum hæretico contrahi.
2. Matrimonium coram non proprio Parocho contractum nullum est, ubi Concilium Tridentinum est publicatum.
3. Coniux coniugi quando succedat.
4. Turpitudinis propriæ allegatio quandoque toleratur.
5. Viduæ appellatio cui congruat.

CONSILIVM DXXX.

QVOD pro parte Domicellæ Annæ H. proponitur, an inter Domicellum Ioannem E. hæreticum, & in factione ac rebellione hæreticorum in civitate Gandensi inter alios antesignanum, & ipsam Domicellam Annam, à Catholica religione non alienam, verum, legitimum, & ratum fuerit matrimonium, quod ipsi coram Ministris sæcularis, & hæreticis in dicta civitate publicè contraxerunt, ad omnes juris tam divini, quàm humani effectus, primo aspectu dubitationem aliquam habere videtur: * ob id, quod quamvis ex canone Concilij Agathensis, *can. Non oportet xxviii. q. 1.* non oporteat cum hæreticis hominibus miscere coniugia; & Divus Ambrosius, *can. Cave xxviii. q. 1.* Christiano cavendum esse admonet, ne cum alienigena, hoc est, non tantum gentili, vel Iudæo, sed etiam cum hæretico, vel hæretica conjugium contrahat: pro prohibitione tamen præcisâ non sit, sed pro admonitione dumtaxat, ne quis Catholicus faciliè, & temerè matrimonium cum hæretico contrahat; ita ut, si contempta hac admonitione, aliter fiat, nullum non sit, quod agitur, sed verum, & ratum secundum veteres canones & decretales constitutiones matrimonium, *Gloss. in d. can. Non oportet, Panor. & alij in c. Quanto de divort. solâ poenâ amittendâ, & confiscandâ dotis mulieri imposita, si scienter cum hæretico contrahat, c. decrevit de heret. lib. 6.* Cum etiam apud infideles & paganos sit verum matrimonium, quantum matrimonium constat in finibus contractus, non etiam quatenus est sacramentum, *c. Gaudemus de divort. c. Deinde 26. dist. 1.* multò magis inter hæreticos, vel utrumque, vel ex altera parte dumtaxat, quippe multa in iure fieri prohibentur, quæ tamen facta tenent, & juris firmitatem tenent, *c. Ad Apostolicam De regular. & transf.*

Cæterum hanc disputationem discutit sacri œcumenici Concilij Tridentini definitio, decretum & auctoritas, in *c. 1. sess. 24. De reformat. matrim.* quæ ut posterior & novissima, sola in constituendo legitimo, vero, & rato matrimonio in consideratione haberi debet. Ut generaliter posteriores non tantum leges, *l. Non est nam cum duob. seg. De legib.* sed etiam sacri canones, & Ecclesiasticæ constitutiones prioribus derogant, & quicquid contra illas sit, nullam habet firmitatem, *c. Non debet De consang. & affinit.* Proinde cum idem Conciliare decretum, in dicta civitate Gandensi ac singulis illius parochijs pridem receptum & publicatum, non tantum præcipiat, ut ma-